


05

A

1560





CONTEMPLATIONUM PHYSI-
CARUM GENERALIUM
TERTIA

18

De

PRINCIPIIS
CORPORUM NATURALIUM

intrinsecis in Specie

Quam

Annunte Altissimo

PRÆSIDE

M. GEORGIO GUTKIO

Coloniensi Marchico, Facult: Philosophicæ
adjuncto

In florentissimâ Wittebergensi Academiâ

Ventilandam proponit

PAULUS SCAEVOLA CIBINIENSIS
Saxo Transsylvanus.

Ad diem 7. Iulij, Anno 1617.

WITTEBERGÆ,

Apud PAULUM SCHETLERUM Anno 1617.





05 A 1560



CONTEMPLATIONUM PHYSI-
CARVM GENERALIVM
TERTIA.

PRÆLOQUIUM.



*M*aisia Deum præsentem arguere, verè dixit, qui dixit. *Admiranda rerum Physicarum mutatio*, causarum cohæsiõ, elementorumq; unio, id abundè declarat & testatum facit. *Quis sine admiratione adspiciet meteora; quis corporum nostrorum mutationem, & in ijs alterationem, augmentationemve in nullo numero atq; momento ponet? Quocirca librum natura*, hoc est rerum naturalium naturam quia nuperis disputationibus evolvere incepimus, *eius evolutionis telam pertexamus* exercitationibus sequentibus, & *quidem huius συζητήσεως materies erit* specialis consideratio. *Materia, Forma & Privationis*. Doctrina certè jucunda, difficilis, & pulchra, animum inscitix rubigine exuens, mentemve ad altiora disponens. *Tu Summe Deus, qui omnia ex nihilo formasti, & eadem nobis contemplanda propoluiti, hic quoque largiaris rogo*

— *Optatum felici sidere cursum.*

Thesis I.



*R*IA concedenda esse corporum naturalium principia, duo constitutiva, & unum transmutationis, præcedenti disputatione monstratum est & probatum. *Constitutiva principia dicuntur, quæ rei essentiam ingredi-*

A E

un,

untur, suntq; vel materia, vel forma. *Transmutationis principium dicitur, quod remnaturalem vel potius materiam ad appetitum novæ formæ instigat, de quibus nunc in specie.*

II.

Materia vox tam variè sumitur, ut ferè ad æquivocationem degeneret. In latissima significatione denotat omne indeterminatum, quod per formam quandam vel formalem rationem restringi ac limitari potest, quo in significato etiam genus materia dicitur, quia per differentiam restringi potest. Non rarò subjectum accidentium subjectum materiam in QUA appellare solemus, ut intellectus dicitur materia in QUA Philosophiæ. Interdum partes integrantes materia corporum dicuntur. Datur itidem materia æquivocè sic dicta nempe intelligibilis, quæ à mente nostra ad modum veræ materiæ formatur, ut simplices termini dicuntur materia enunciationum.

III.

Tandem accipitur pro materia ex QUA, quæ est pars compositi essentialis, quæ significatio propria est, et nostro instituto accommodata, & hac in acceptione dividitur in primam & secundam. Materia secunda est, quæ dispositionibus jam præparata est ad recipiendam formam. Sic elementa dicuntur materia secunda mixtorum, Materia prima indeterminata, & omnis formæ expers est & describitur, quod sit subjectum primum ex quo omnia primum generantur, & in quod resoluta postmodum redeunt.

IV.

De materia prima hic sermo est, quam dari, hoc evinco argumento. Quodcunq; est determinatæ virtutis: illud ex nihilo quicquam producere nequit.

Agens naturale est determinatæ virtutis.

Ergo ex nihilo quicquam producere nequit.

Quodcunq; ex nihilo quicquam producere nequit,

illud necessariò requirit subjectum, in quod agat.

Atqui agens naturale ex nihilo quicquam producere nequit.

E. agens naturale certum requirit subjectum in quod agat. Maior est certa. Minor propositio, quæ infinita est, ab omnibus conceditur, & porro sic infertur:

131

In causis essentialiter subordinatis non datur progressus in infinitum.
Atqui in causa materiali datur essentialis subordinatio. E. in causa materiali non datur progressus in infinitum & per consequens concedenda est materia prima, sive subiectum aliquod primum, quod in aliud resolvi non potest.

V.

Hanc primam rerum materiam quidam negant, his adducti rationibus.

1. *Quod nec est accidens, nec substantia illud est non Ens. Atqui materia nec est substantia nec accidens. E. materia prima est non Ens, & per consequens nuge sunt, quae de eadem dicuntur & proferuntur.*

Resp. ad Maiorem limitando eam hoc modo: quodcunq; non est substantia vel accidens ita ut nec sit substantia completa vel incompleta, nec accidens completum, vel incompletum: illud est non Ens. Atq; sic negatur minor. Licet enim materia, non sit substantia vel accidens completum: tamen reducitur ad substantiam, & est modus substantialis.

2. *Ens in potentia non est Ens. Materia prima est Ens in potentia. Ergo materia non est Ens.*

Resp. distinguendo inter potentiam obiectivam & subiectivam. Id quod est in potentia obiectiva illud non est Ens; quod vero in potentia subiectiva, illi optime ratio Entis tribuitur.

VI.

Præterea materiae consideratio est vel absoluta vel respectiva & comparata. Absoluta peragitur perpendendo materiae essentiam & quae hanc consequuntur attributa. Circa essentiam materiae dispiciendum est, quid sit materia. Quidam asserunt, eam nudam esse potentiam ex parte omnis actus, qui in duplici sunt differentia. Concedunt enim primum Philosophi quidam, quod potentia, quæ accidens est de prædicamento qualitatis sit de essentia materiae, quæ opinio erronea est. Nam corpus quod ex materia & forma componitur esset Ens per accipens, quod absurdum. Deinde largiuntur quidam materiae potentiam eiusmodi quæ non sit accidens, sed opponatur actui formali, nihilominus actum suum Entitativum possideat.

A 3.

7. Atq;

Atq; hi proculdubio rectè sentiunt, quorum sententiam ita probatam dabimus 1. *Quicquid est indeterminatum, aptumq; plures recipere formas, nec unquam sine formâ existit, illud potentiam in sua essentia inclusam habet.*

Atqui materia prima est indeterminata, aptaq; plures recipere formas, nec unquam sine forma existit.

E. Materia potentiam in sua essentia inclusam obtinet.

Et quidem hæc potentia non est objectiva, quasi scilicet materia ex se nihil sit, sed solum in potentia agentis; verum potentia illa materia est subjectiva, quæ actu suo entitativo, quem positionem rei extra nihil describunt, gaudet, quamq; hunc in modum demonstramus: Res naturalis aut est omnino simplex; aut componitur ex aliquo & nihilo; aut ex aliquo & aliquo. Prius est absurdum. Secundum est impossibile. E. tertium concluditur, quia facta est sufficiens partium enumeratio. Sed res naturales constat materia & forma, quæ erunt aliquid & aliquid. E. Materia quia est aliquid obtinebit quoque actum entitativum Scotus 2. sentent. dist. 12. ad 1. Cujus sententiam negat Soncinas 7 Metaph. q. 17; defendit verò eandem Philipp. Faber Favent. in Phys. Scoti th. 22. c. 1.

IIX.

Vnde consecutarium, quod materia quoq; propriam habeat existentiam. Si enim non propria, sed formæ existeret existentia, sequeretur illud absurdum, quod materia toties generaretur & corrumpere, quoties totum aliquod compositum interiret. Quando enim existentia rei perit, res ipsa corrumpi rectè dicitur. Deinde ita ratiocinamur: Omne subiectum recipiens debet præexistere: Atqui materia est subiectum recipiens generationem. E. debet præexistere, unde habebit propriam essentiam & existentiam, licet incompletam, quæ ultimam suam perfectionem a forma sortiatur.

IX.

Sed queritur hic; an illa potentia sit de essentia materiae, vel eius essentiam consequatur. Posterius concludimus, ita tamen ut affectionem hanc loco differentie & rationis formalis positam esse asseramus. Quia enim minimæ entitatis materia est differentiam & rationem ejus formalem intueri non licet; est verò duplex materiae potentia, prima

&

& secunda, illa remota & universalis dicitur & sic est affecta, ut ipsam materiae essentiam consequatur, sitq; indeterminata ad omnes formas recipiendas, nec per ullam formam perfecte aetuetur. *Secunda potentia propinqua & particularis dicitur, & sic est disposita, ut non consequatur ipsam materiae essentiam, sed intercedentibus quibusdam dispositionibus extrinsecis materiae adveniat, neq; omnes formas ex aequo respiciat, sed ad unam proximè sit determinata, per quam advenientem etiam perfecte aetuetur & adimpletur. Atq; haec potentia dicitur potentia contradictionis, quae quidem omni materiae iuncta est, sed non ubiq; deducitur in actum, sed ibi demum, ubi non adeò firma materiae & formae unio est, nec non privatio materiam ad aliam formam appetendam instigat.*

X.

Præterea materia hæc est affectio, ut dicatur ingenerabilis & incorruptibilis. Ingenerabilis dicitur, quia est primum subiectum generationis. Si vero esset generata materia nõ esset primum subiectum, cum omnis generatio subiectum requirat. Quæ assertionem tamen non negamus illam esse rebus concreatam, quia constat, quod aliud sit creatio, aliud itidem generatio. Incorruptibilis est propter eandem rationem. Si enim corrumperetur, concedendum adhuc esset prius subiectum, quod falsum. Unde non immeritò statuitur ultimum, commune rerum generabilium & corruptibilium subiectum, quia ea omnia corpora naturalia, corruptibilia juxta ac incorruptibilia constant, & in eandem omnia ultimò resolvantur. Non tamen in omni mutatione in instanti fit resolutio in materiam primam, sed ultima resolutio in eandem desinit.

XI.

Et hæc est absoluta materiae consideratio: succedit respectiva vel comparata. Comparatur autem materia 1. cum forma, quatenus formam appetit, cum sit Ens imperfectum, quod actum desiderat: non secus ac femina virum: turpe pulchrum, non quod in se & sua essentia turpis sit, sed quia adiunctam habet privationem.

2. Cum accidentibus: qua in cõsideratione tribuitur materiae quantitas, sed interminata & indeterminata. Nam composito tribuitur
quan;

quantitas vel ratione formæ, vel ratione materiæ. Non ratione formæ: quia hæ per accidens est quanta, E. ratione materiæ.

XII.

Materiam excipit formæ consideratio, quam antiquiores Aristotele Philosophi quidam negarunt parum attendentes, quod diversorum accidentium in uno supposito coherentia non nisi à forma provenire possit. Intelligimus verò hic per formam non ideam Platonicam, nec formam artificialem, sed naturalem, eamq; non accidentalem, sed substantialem, & quidem non assistentem, sed informantem.

XIII.

Forma est, quæ dat esse rei, sc. ultimum & numericum Et hinc concluditur, quod plures in uno composito formæ dari nequeant, etiam si sint subordinate. Quod enim dicunt, dari in composito præter formam specificam & ultimam genericam quoq; formam, illo nihil efficiunt. Nam forma rem non solum constituit, sed etiam ab omnibus alijs distinguit, quod quia non præstat generica forma, formæ nomen quatenus generica est, habere nequit. Sit itaq; conclusum: Omne latum & commune multis formæ differentibus respondet materiæ.

Atqui omnis conceptus genericus est latum quid, & commune multis formæ differentibus.

E. *omnis conceptus genericus respondet materiæ. Maior est certa, Genus enim ob communitatem in proportionem respondet materiæ differentia ob proprietatem formæ: Minor est manifesta.*

XIV.

Queritur hic, quomodo ex materia & forma unum fiat compositum. R. nullo interveniente principio tertio constitutivo ex materia & forma fit compositum. Ex actu enim & potentia nullo interveniente alio fit unum, adeo ut quærere te super hac re non deceat, nisi progressum in infinitum, concedere velis. Sed unde promanat forma, excipis: Educitur ex potentia materiæ in materiam, id quod probo.

I. *Quæcumq; res subsistere non potest, nisi in materia, illa rectè dicitur educi è potentia materiæ.*

Atqui forma naturalis non potest subsistere sine adminiculo materiæ.

E. *forma naturalis rectè dicitur educi è potentia materiæ.*

2. Quod

2. Quodcumq; per agens naturale educitur: illud è potentia subiecti educitur, quia agens naturale necessario requirit subiectum.

Atqui forma naturalis per agens naturale educitur.

E. forma naturalis è potentia subiecti educitur, quod dicitur materia.

Ergone pergis: principium generatur ex principio? Non sequitur: quia forma non generatur, sed totum compositum, quatenus nimirum forma è materia in qua secundum esse formale formabile erat, educitur, & compositi essentia absolvitur, illud esse formale formabile verò (verba sunt Alberti) nihil aliud est, quam illud ipsum, quo concepimus formam esse ante generationem in materia secundum esse habituale & originale confusum, quove negatur formas extrinsecus accidere. Albertus 1. Phys. tract: ult:

XV.

Ex hisce concluditur, quod formae substantiales non migrent de materia in materiam; nec formae naturales, quae infieri & in ESSE dependent à materia, sint separabiles à materia, uti in quaestionibus demonstrabimus.

XVI.

Tandem se offert tertium corporum naturalium principium, quod dicitur transmutationis privatio scilicet, quam quoad quaestionem an sit, praecedente disputatione pertractavimus. Hic ejus varia acceptio benè notetur. Sumitur ea vel pro absentia ejus formae, quae antea fuit, aut certè adesse jam debuit, quomodo caecitas dicitur privatio visus; vel pro absentia ejus formae, quae nec antea fuit, nec adesse debuit, sed mox subsequutura est. Ab illa ad habitum non datur regressus; ab hac vero ad formam semper fit progressus.

XVII.

Et haec propria est, & nobis accepta privationis significatio, quae itidem dividitur in remotam, respectu cujus quodlibet ex quodlibet fieri dicitur multis intercedentibus mutationibus; & in propinquam sive proximam, secundum quam nec quodlibet fit ex quolibet, Atq; hoc principium necessario ad rerum naturalium generationem requiritur. Num materia & forma sese mutuo complexu prosequuntur, & simul esse desiderant tanquam perficiens & perfectibile. Accedat ergo transmutationis principium necesse est, quod illam materiae & for-

B

ma

mae amicitiam dissolvat, ac appetitum materiae ad alias subinde formas incitet & alliciat.

XVIII.

Describitur Privatio quod sit absentia seu carentia formae in subjecto apto eam recipere. Absentia namq; rei desiderium excitat quo excitato materia aliam formam appetit, & sic propriae fastidium concipit per accidens ob quam rationem privatio transmutationis principium dicitur. Et hinc ejus natura inclarescit, quod scilicet non faciat ad constitutionem rerum, sed earundem transmutationem saltem efficiat.

XIX.

Differt Privatio à materia, quia haec appetit formam, illa non item. Differt itidem à potentia materiae. Privatio enim primario denotat absentiam formae, secundario aptitudinem recipiendi; Potentia vero aptitudinem recipiendi primario absentiam formae secundario designat. Et haec de principiis internis corporis naturalis quoad theses.

AXIOMATA.

I.

Materia non parit differentiam corporibus.

Quia est communis Forma autem sive actus proprius est, & distinctus. Et si interdum aliqua in materia sit differentia, habet eam materia non ex se, quatenus materia est, sed à forma, quatenus jam limitata.

II.

Materia medietur maleficium. Non per se, sed propter adjunctam privationem.

III.

Omne materiatum est quantum, & omne quantum materiatum. Ratio est: quia quantitatis radix est extensio situalis. Omnis extensio vero sit ratione materiae. Hinc ubi materia, ibi extensio; ubi haec, ibi quantitas & contra.

IV.

Forma largitur rei esse & operari. Operationes enim à proximo & minus communi principio fluunt.

QUAESTIONES.

I.

An materia prima habeat formam sibi coevam sive an detur forma prima.

Phi.

Philosophastri nonnulli, qui nihil didicere, nisi abuti principijs Philosophicis, quiq; accuratam Philosophiam ne à limine quidem salutarunt, mirum in modum hic ludunt. Statuunt homines illi, materiam primam requirere necessario formam primam, quæ æquè sit omnibus corporibus communis, atq; materia prima. Hisce nos opponimus, & statum controversiæ sic informamus. Negamus formam primam, cujus negationis sensus non est ac si materia sit, vel aliquando fuerit sine forma: Id enim ipsi non approbamus, quia materia semper sub formis existit; sed sensus est iste, materiam non habere formam, per quam constituatur in ESSE materiæ, sicuti ignis per suam formam constituitur in ESSE ignis. Sint itaq; illis opposita hæc argumenta.

1. Id quod est receptivum cujuslibet formæ, nullam de se habet formam. Materia est receptiva cujuslibet formæ. E. non habet de se formam. Major est certa, Minor conceditur à parte adversa.

2. Si materia de se aliquam haberet formam: sequeretur quod per ipsam esset in actu, & p.c. omnis alia forma adveniret Enti in actu, & sic esset accidens, quod falsum Soncinas 7 Metaph q. 17.

3. Formæ est determinare & restringere subjectum & sic æquè latum non permittere. At forma illa materiæ coæva id non præstat; quia æquè late patet ex adversariorū sententia. Ergo illa forma, non est forma & sic nullam formam materiæ coævam concedimus.

Obijciunt 1. In causas naturalibus non datur processus in infinitum. E. concedenda erit aliqua forma prima. R. Formæ non sunt infinitæ. Ergo dabitur forma prima dicis? Nec datur prima nec secunda nisi forte in receptione formarum, quando una abjicitur, altera acquiritur detur primum & secundum aliquod imaginarium.

2. Quodcunq; est Ens habet formam: quia omne Ens per suam formam est. Materia prima est Ens. Ergo habet formam. O crassam terminorum Metaphysicorum ignorantiam. Negatur major, Quodcunq; est Ens, sive Essentia, illud habet formam. Ens enim & essentia convertuntur, Deus est essentia. Ergo Deus habet formam. En absurdum.

II.

An materia appetat formam?

B 2

Julius

*Julius Caesar Scaliger Exercit: 61. f. 1. materiam appetere formam
negat his rationibus:*

I. Materia non appetit formam. Omnes enim habet.

*Haec namque materia individuata partes sunt materiae primae quae una est.
Respondeo, nullam esse consequentiam:*

*Materia habet omnes formas. Ergo non appetit formam.
Consideratur materia prima vel universaliter quatenus species est, vel ratio-
ne individuarum materialium. Ratione speciei considerata habet
omnes formas: quia non datur forma, quae non habeat mate-
riam, nec datur materia sine forma. Vt enim species habet omnia in-
dividua, sic etiam materia universaliter considerata habet omnes individua-
tas materias, quae omnes suis formis sunt informatae Immo si sub-
tiliter procedendum materia non habet omnes formas, sed est
receptiva omnium formarum, cum indeterminata sit ad omnes for-
mas recipiendas ratione potentiae primae.*

*Sed sit ita; omnes formae habeantur à materia, sed quatenus con-
sideratur juxta portiones individuatas; sequiturne inde, materi-
am non appetere formam. Concedo Scaliger illud: quodcumque habet om-
nes formas, illud formam novam non appetit: Sed materia habet
omnes formas. Ergo novam non appetit. Sed quae materia eas ha-
bet? Specifica & universaliter spectata.*

*Sed quomodo & quando dicitur materia appetere formam?
in generatione & corruptione. Sed quid abijcitur in generatione?
Non forma in universali, sed individuata. Appetet igitur materia in-
dividuata novam formam. Nihil ergo concludit ratio Scaligeri:
quia materia individuata formam appetens formas omnes non
habet.*

*II. Infert Scaliger: materiam non semper appetere formam melio-
rem. Neque necesse est ut ita appetat. Eam enim formam appetere
statuitur, ad quam per extrinsecas dispositiones ratione potent-
iae secundae est determinata.*

*Pergit III: Qui materiam condidit, formasque illas condidit: voluit suae
quantum cuique acquiescere. Nec posuit in materia appetitum mutationis sed
perfectionis.*

*Concedimus, appetitum in materia positum esse appeti-
tuum perfectionis in se. Appetit enim semper ratione suae naturae formam*

nam suam appetitu perfectionis & complacentiæ quandiu illam formam, quam habet, retinere potest. Cur autem appetitu mutationis est prædita materia? id provenit à privatione, quæ materia stimulum addit, novam ut appetat formam, quando dispositiones ad transmutationem adsunt.

Manet igitur adhuc salva illa sententia quæ statuit materiam appetere formam appetitu vel naturali, ut scilicet perficiatur à forma, vel appetitu complacentiæ ut vocant, qualis in cælo reperitur. Et hæc pro appetitu materiae salvâ auctoritate Scaligeri disputata sunt.

III.

An in accuratiore examine consistere queat illa quorundam sententia, quæ duplicem corporis materiam faciunt compositionis unam, generationis alteram.

Distinguunt quidam inter materiam componentem, quæ ad $\xi\sigma\iota\alpha\nu$ corporis constituendam absolute pertinet, & inter materiam generationis, quæ materiam talis corporis nempe Physici, sensilis, mobilis, generabilis, corruptibilis respicit. Hanc distinctionem propter corpora glorificata introduxerunt, & illis materiam componentem attribuunt, generationis verò materiam $\delta\upsilon\upsilon\acute{\alpha}\mu\epsilon\iota\ \alpha\upsilon\tau\iota\phi\alpha\sigma\epsilon\omega\varsigma$ præditam remouent. Verum verba apponunt destituti rationibus. Negativam igitur amplectentes ita procedimus: Quæcumq; materia ad $\xi\sigma\iota\alpha\nu$ corporis absolute constituendam pertinet, sine ea nullum corpus potest esse corpus. Ergo nullum est corpus, quod non constet materia componente.

Pergo Ome: corp9 constat materia componente; Corp9 Physicū generabile & corruptibile est corpus. E. constat materia componente: Aut igitur jam erit hæc materia generationis, aut adhuc alia ea generalior: quod si generalior, materia generationis, aliàs dicta materia prima non erit prima. Habebit igitur se ista materia componens ad materiam generationis ut genus ad speciem, quia ut species ei opponi non potest. Nam species una nunquam fit altera: materia autem compo-

nens fit etiam materia generationis in corpore nempe Physico, generabili & corruptibili. Quo posito explicent causas, quibus hanc distinctionem introducere laborant. Dicunt: si eadem omnium corporum adeoq; glorificatorum materia, quæ δυνάμει ἀνίψασεως prædita, quomodo non omnia corruptioni equè obnoxia? Resp. Mutatio rerum non sequitur simpliciter materiam δυνάμει ἀνίψασεως præditam, sed infirmiore formæ cum materia unionem: ubi verò materiæ & formæ unio est perfectior, ibi propter materiam, semper & necessario formam suam appetentem, appetitūq; suo quem complacentiæ vocant, se necessario & semper cum sua forma unientem δυνάμει ἀνίψασεως ita limitatur & inhibetur, ut nulli corruptio metuenda sit, uti exemplo cœli probari potest.

IV.

An omnis forma naturalis sit spiritus?

Et in hac quaestione nos exercebimus in gratiam eorum, qui omnem formam à materia seperabilem faciunt. Notetur autem quod hic sermo non sit de anima rationali, quam separabilem esse constat sed de forma bruti. Pro affirmativa igitur hunc in modum, quis argumentari posset: *Forma & anima bruti mortuo bruti aut manet, aut interit. Si interit: resolvitur vel in Ens, vel in non Ens. At non in non Ens, quia hoc nihil est, Aliquid enim resolvi in nihilum, absurdum est. Si in Ens, vel in substantiam vel accidens. In accidens resolvi absurdum est. Si in substantiam, resolvitur vel in substantiam completam vel substantiæ modum. Prius est absurdum: quia forma est incompleta substantia unde in completam minimè resolvi poterit. Posterius E. falsum. Quomodo enim res resolvitur in suum modum. Ergo forma non interit. Ergo manet, & per consequens est spiritus.*

R. formam propriè non generari nec corrumpi, sed totum compositum. Ut verò fit forma, ita etiam deficit. Non autem fit ex alio, sed educitur quâ eductâ compositum producitur. Non igitur resolvitur propriè forma sed compositum. At ubi manet forma. In resolutione compositi terminatur ad modum substantialem. Quis ille? universalis & remota materiæ privatio, in quam forma desinit.

Bruti igitur anima Spiritus non est; quia non est intelligens. Omnis verò Spiritus corpori oppositus est & dicitur intelligens.

s. An

V.

An axioma illud Philosophicum: à privatione ad habitum non datur regressus destruat resurrectionem carnis.

Mirum quod axioma Philosophica hominibus alioquin non insulsis ita sint sedes in oculis? Seculum ita fert, mores ita obtinuerunt. Dicunt quidam: *questio hæc si Aristoteli proponeretur; an idem corpus numero corruptum & in cineres redactum resurgere possit, tum statim negaret hæc principio: à privatione ad habitum non datur regressus. Scilicet rem acu tetigisti; statim ita responderet Aristoteles, & quod disputandi artificium in Logicis proposuit alijs, ipse negligeret. Interrogaret te potius, quam privationem intelligeres, totalem an partialem. Si totalem diceres, quærendo pergeret, qua virtute idem numero corpus resurgere deberet, an virtute primæ causa immediata an vero naturali. Si diceres naturali, tum negaret & tu cum ipso: quia hæc vis naturam excedit, ad quam hoc axioma alligavit Aristoteles, si statueres, quod per virtutem primæ causa immediatam, ipse urgeret te, ut explicares illam virtutem, qua rectè percepta ipsum potius ad stipulatorem, quam obrectatorem haberes.*


VI

An privatio sit Ens, existatq; in rebus?

R. Licet privatio non sit plane nihil, non tamen Ens positivum appellari potest, ita ut speciem Entis absolvat. Nec tamen est purum Ens rationis, ita ut fiat ab intellectu; sed est relatio negationis formæ prærequisita ad corpus naturale & præexistens ante intellectus operationem. Egid. Rom. 1. Phys.

c. 9. q. 3.

DEO CREATORI GLORIA



05 A 1560

ULB Halle

3


003 779 602



VD17







CONTEMPLATIONUM PHYSI-
CARVM GENERALIVM
TERTIA

De
PRINCIPIIS
CORPORVM NATVRA-
lum intrinsecis in Specie

Quam

Annunte Altissimo

PRÆSIDE

M. GEORGIO GUTKIO

Coloniensi Marchico, Facult: Philosophicæ
adjuncto

In florentissimâ VVittebergensi Academiâ

Ventilandam proponit

PAVLVS SCAEVOLA CIBINIENSIS
Saxo Transsylvanus.

Ad diem 7. Iunij. Anno 1617.

VVITTEBERGÆ,

Apud PAVLVM SCHETLERVM Anno 1617.

18